

que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu [in] benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterint vel ad laborandum adiuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tamquam contra sedis apostolice indulta prolatam decernimus irritandam nec littere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Cysterciensis ordinis et contra indulta apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Preterea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus in vestro monasterio exclusis excommunicatis et interdictis divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica inhibemus^{b)}, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu volenciam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro Cysterciensi concessas nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentes scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexacionibus fatigare, set omnia integra conserventur earum, pro quarum gubernacione ac sustentacione concessa sunt, usibus omnimodis profutura salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitucionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ulcioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et aput districtum iudicem premia eterne pacis inveniant, amen. Datum Lugduni per manum magistri Marini sancte Romane ecclesie vicecancellarii vñ kalendas maii, indictione viii^a, incarnationis dominice anno m̄ cc̄ l, pontificatus vero domini Innocentiū pape iii. anno vii.

251.

30

Markgraf Heinrich der Erlauchte bewkundet die Errichtung eines Klosters in Grimma, um die Cistercienser-Nonnen in Torgau dahin zu versetzen, und bestätigt dabei die denselben zuständigen Einkünfte und Besitzthümer. Grimma, 1251 Aug. 9.

Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 498. Das S. an Fäden von rother und gelber Seile (beschrieben in dem Transsumpt von 1383 Oct. 29 Or. Perg. ebendasselbst No. 391^b, vergl. Posse Siegel der Wett. Taf. III, 6) 35 ist abgefallen.

Gedr.: Neue Beyträge von alten und neuen theolog. Sachen 1758, 462 ff. Husche Magazin 6, 73 ff. Bertram Belgern 144 ff. (unvollständig).

250. b) Vor inhibemus ist confirmamus ausgestrichen.